



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

Li
13
414



L 213.414



Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books (the ancient classics) or of Arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." (Will, dated 1880.)

Received *21 Sept., 1891.*



1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100

101
102
103
104
105
106
107
108
109
110
111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

1374

DE
IUVENALE VERGILII IMITATORE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE ERLANGENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT


IOANNES GEHLEN
RHEMANUS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA ACADEMICA HUTHIANA

MDCCCLXXXVI.

Lois 13.414



Constantius fund.

0.14

PATRI MEO.

Diligentissime Woldemarus Ribbeckius¹⁾ de Vergilii imitatoribus exposuit, in quo numero etiam Iuvenalis dicitur. Qui vir doctissimus cum octo locos attulisset, quibus Iuvenalis Vergilium imitatus esset, operae pretium esse duxi accuratius in utriusque poetae opera inquirere diligentiusque indagare, quibus in rebus satirarum scriptor in vestigiis Vergilianis institisset et illius exempla secutus esset.

Interpretes quidem, qui in scholiis commemorantur, Granaeus, Britannicus, alii Iuvenalis commentatores permultos locos Vergilianos et Iuvenalianos iuxta posuerunt. Quorum commentationes perserutatus nullo modo partes eorum sequendas esse intellexi. Neque enim negari potest illos commentatores satis temere in re tam obscura tamque difficili egisse, sive multos locos, quos Iuvenalem ex Vergilio hausisse apparet, omiserunt, sive etiam in iis locis Iuvenalianis, qui a Vergilio omnino abhorrent, similitudinem quandam viderunt.

Etenim licet nonnullus locos afferant, quorum similitudo sit aperta, tamen permulti probari non possunt, cum illi nimia fiducia elati probabilitatis fines egressi in lato coniecturarum campo vagentur²⁾.

¹⁾ Appendix Vergiliana.

²⁾ Missis aliis exemplis sufficiat illud notare, quod imprimis ab O. Iahnio in scholiis collatum est cum loco Vergiliano. In satira enim I v. 168 legitur: „inde irae et lacrimae“. Quae voces a scholiaste conferuntur cum Verg. Aen. II v. 97:

„hinc mihi prima mali labes“

Sed Iuvenalianum hemistichium tantum abest, ut referri possit ad Vergilium, ut illi locus iste Terentianus, Andr. I, 1, 99: „hinc illae lacrimae“ ante oculos fuerit.

Quod si quaerimus, quam ob rem cum apud Graecos tum apud Romanos scriptores tam multae inveniuntur similitudines et eorum, qui antea scripserunt, imitationes, certe omnium ea est prima causa, quod prisci sermonis nec voces nec formae poetis quibusdam suppetebant, ut ea exprimerent verbis, quae mente cogitabant, qua de causa ad principes poëtas maiore indole atque ingenio antecedentes se applicabant.

Accedit quod, quae est humanae memoriae natura, et sententiae et dictiones rotunda, ut ita dicam, et lepida forma compositae facillime mente retinentur, quod quidem in operibus maxime usu venit versu heroico conscriptis.

Et memoriae quidem vim multum valuisse in Juvenale ad propagandos versus et imitationem poëtarum sive forma sive argumento efficiendam eo probatur, quod Iuvenalis in primis satiris multo magis Vergilii exemplum secutus est, quam extremis, quarum praecipue librum quintum senex conscripsit³⁾. Cum autem communi ex usu memoria humana increscentibus annis non iam vigeat et paulatim minuatur, haud mirum est poëtae nostro aetate iam propecto divini illius Vergilii versus ita in promptu non fuisse, quos in usum suum converteret. Qua de causa consentaneum videtur esse libro quidem primo imitationes duodequadragesima indagari, cum libro quinto decem tantum inveniuntur.

Versum autem heroicum aptissimum esse intellegemus, in quo causa imitandi magna ex parte sit posita. Nam imprimis versus dactylicus hexameter certum exigit ordinem verborum metricis rationibus astrictum, certas formas, quae a consuetis syllabarum mensurae rationibus discrepare non possunt; et quaecunque in diversorum elisionis generum usu, synicesis, caesurae, similibus rerum gratia ab omnibus poetis eadem cura observantur, efficiunt, ut eadem et cogitandi et dicendi ratio retineatur facilius.

Iam vero praecipue in scriptoribus latinis dilucide cog-

³⁾ W. S. Teuffelius in libello, qui inscribitur: „Juvenals Leben und Schriften“ demonstrare studuit Iuvenalem satiram XV scripsisse, cum annum iam unum et octogesimum ageret.

noscimus linguam paulatim imitando excultam esse et propagatam ea videlicet ratione, ut prior scriptor posteriori esset exemplo. Ineunto enim aureae latinitatis aetate Ennius, postea Lucilius erat exemplum poetis ad imitandum propositum, et illorum poëtarum elocutiones, dicendi formae, cogitationes, comparationes, descriptiones posterioribus poëtis fontes erant, unde haurirent formam atque argumentum poëmatum.

Accuratissime Woldemarus Ribbeckius⁴⁾ illustravit, quibus auctoribus plurima debeat Vergilius, quem eundem poëtam ex Lucretio plurima hausisse iam veteres scriptores animadvertunt. Gellius⁵⁾: „Non verba sola, inquit, sed versus prope totos et locos quoque Lucretii plurimos sectatum esse Vergilium videmus“. Macrobius⁶⁾ autem dictiones multaque verba composuit, quae ille cum ab aliis Romanorum poëtis, tum ab Ennio et Lucretio sumpsit. Lucretii quidem de rerum natura libri multis poetis, imprimis Horatio, fontes erant, unde multa assumerent argumenta formasque dicendi depromptas carminibus insererent. Quos scriptores aureae aetatis posteriores poëtae et dicendi et cogitandi ratione imitati sunt, imprimis ii scriptores, qui versus heroici usu et ratione, ut iam supra diximus, maxime ad imitandum ducebantur. Quod idem etiam multis annis post mortem eorum factum esse praecipue comprobatur satiris Iuvenalianis. Atque Vergilium Iuvenali tot rerum formarumque copiam ad imitandum praebuisse videbimus, quot nec Romanorum nec Graecorum scriptor alius.

Dixerit quispiam Iuvenalem non multa mutuatum esse de Vergilio proxime ante cedente, sed iisdem de fontibus hausisse, quibus ante ipsum Vergilius usus sit. Quae opinio non omnino refutari potest. Multi enim sunt versus, multa hemistichia, quae sive formis sive rebus communia sunt compluribus poëtis ita, ut paene in quotidianum dicendi usum abierint. Nam moris erat quoslibet versus incude praeclarissimi cuiusque poëtae formatos aut assumere carminibusque novis immiscere

⁴⁾ Appendix Vergiliana.

⁵⁾ Noctes atticae I 21, 7.

⁶⁾ Saturnal. lib. VI.

aut mutatis formis verbisque inserere. Conferas Lucreti ⁷⁾ III v. 840: Non si terra mari miscebitur et mare coelo;

Verg. Aen. I v. 133, 134: Iam coelum terramque meo sine numine venti Miscere;

Aen. V v. 790, 791: maria omnia coelo Miscuit.

Iuv. sat. II v. 25: Quis coelum terris non misceat et mare coelo

Iuv. sat. VI v. 283, 284:

clames licet et mare coelo

Confundas, homo sum.

Quae igitur huius vel illius poëtae sunt propria, difficilium interdum distinguuntur ab iis, quae poëtarum sunt communia ita, ut nonnunquam locis, quibus imitatio illustretur, dubium sit, utrum poëta, qui primus versus scripserit an eius imitator fontem praebuerit unde postea iterum alius poëta imitandi exempla desumeret. Verum quibus locis apud unum alterumve poëtam versu heroico usum, velut Lucanum, qui erat aetate inter Vergilium et Iuvenalem intermissa, eadem atque Iuvenalianae imitationes inveniuntur consentaneum est satirarum scriptori neglectis aliorum exemplis praeclarissimi illius Vergilii scripta ante oculos fuisse.

Atque Iuvenalem Vergilii opera studiosissime lectitasse ipsis satiris, in quibus huius poëtae compluribus locis mentionem facit, satis perspicitur. Nam et sat. VI v. 435, VII v. 69, IX v. 180 summa cum reverentia Vergilii nomen affert, et sat. I v. 162 sq. eius opera commemorat, et de multis rebus dicit, quas ille accurate et praecipua cum venustate depinxit. Adde quod sat. VII v. 227 dicit Vergilii opera in scholis usurpata esse, unde pueri institutionis atque eruditionis primordia reciperent. Nec mirum. Vergilius enim Caesaris et Maecenatis gratia summam assecutus gloriam inde ex Augusti aetate amplissimus et illustrissimus habebatur poëta, cuius libris posteriores poëtae apparatu quasi poëtico utebantur, unde locutiones, comparationes, descriptiones in suum usum verterent.

⁷⁾ Lucreti Cari de rerum natura libri sex
rec. Jacobus Bernaysius.

Ac quantum studium in Vergilii opera consumptum erat illis temporibus, cum Augustinus^{*)} scripsit: „Apud Vergilium, quem propterea parvuli legunt ut videlicet poëta magnus omniumque praeclarissimus atque optimus teneris ebibitus animis non facile oblivione possit aboleri“ tantum fuit sine dubio primo et altero post Christum natum saeculo, cum exemplum divini illius poëtae omnium memoriae quasi inustum praevalebat. Constat igitur Iuvenalem summam in Vergilii scripta operam studiumque contulisse. Quod quidem alienum videatur esse cum reputemus alterum poëtam alteri carmina scribendi generi indulsisse. Vergilius enim in carminibus non solum naturalem quandam pulchritudinem ac simplicitatem coniunxit cum subtilibus rhetorum argutiis, sed etiam a facilitate dicendi et venustate ad luxuriam verborum maiorem et quaesitam enuntiationum elegantiam deflexit; Iuvenalis vero gravis, severus, acerbitate salibusque insignis, urbanis sermonibus minime accommodatus multis locis inclinavit ad vanam doctrinae ostentationem et paene puerilem in dicendo ornatum.

Attamen Heinrichius doctissimus vir in adnotationibus satiris Iuvenalianis additis iam demonstravit, Iuvenalem saepissime sumptas a Vergilio loquendi formas bono cum effectu in suam rem convertisse. Nimirum Maronis operibus, imprimis Aeneadi, illa aetate, qua Iuvenalis satiras conscripsit, plurimum tribuebatur: quorum librorum cum singuli paene versus omnibus prompti essent Romanis, id commodissimum accidit Iuvenali declamatori, quo sibi ipsi audientium plausus compararet. Quem alium nisi imitandi fructum inde percipere potuit declamationibus, quid denique expedivit, quominus interdum formis rebusque Vergilii exempla sequeretur?

Ac priusquam transeamus ad eos locos, quibus Iuvenalem in Vergilii vestigiis insistere demonstrabimus, id primum moneamus duo genera imitandi esse distinguenda. Aliis enim locis casu quodam ductus Iuvenalis Vergilium imitatus est, sive re ipsa sive forma versus sive sua versuum Vergilianorum memoria ad imitandum pelliciebatur, aliis de industria et

^{*)} Augustinus de civitate dei 1, 3.

certo consilio principem illum poëtam secutus est. Quae quidem imitandi genera discernere multis locis satis difficile est.

Is autem locis Iuvenalianis, de quibus disseremus, Vergilii exemplar ei ante oculos fuisse, si non certum at maxime verisimile est.

Atque omnes locos, quibus Iuvenalis Vergilium imitabatur, hoc in opusculo in tres partes disiungendos statui remque ita instituturus sum, ut primo loco considerem eas imitationes, quae continentur dicendi colore utriusque poëtae communi vel cogitandi ratione similiter expressa, deinde res aliquas grammaticas et metricas, quibus Iuvenalis Vergilium secutus esse videtur, postremo de illo genere imitandi exponam, quo satirarum scriptor Vergilium cavillatus epici poëtae graves atque magnificas locutiones, cogitationes, sententias transtulit ad res ludicras ⁹⁾.

Ac primum quidem similitudo eo continetur, quod in multis versibus Iuvenalianis ipsa sermonis origo ad Vergilium referenda est imitatione nonnunquam una solum voce indicata, cum color sermonis vel tenor sententiae apud utrumque poëtam non sit diversus. Multis etiam locis Iuvenaliana imitatio aperta est, quamquam singulae voces non ratis congruunt cum Vergilianis. Cavendum ergo est, ne in imitatione vel manifestissima voces vocibus respondere velis.

Quae si reputas imitationem nobis occurrere apparet, si comparantur Iuv. sat. I v. 21:

Si *vacat*, ac placidi rationem admittitis *edam*.

et Verg. Aen. I v. 372, 373:

Si prima repetens ab origine *pergam*

Et *vacet* annales nostrorum audire laborum.

⁹⁾ In enumerandis Vergilii versibus secutus sum editionem Ribbeckianam. Quamvis libenter eiusdem viri doctissimi satirarum editionem Iuvenalianarum adhibuissem, tamen ratio critica, qua usus est libro illo, qui inscribitur: „Der echte und der unechte Juvenal, Berlin 1865“, omnino probari mihi non potuit. Satiras autem Iuvenalis multis locis esse interpolatas plurimasque in iis corruptelas inveniri nemo est quin sciat. Qua de causa totum me applicavi ad C. Fr. Hermannum, peritissimum illum satirarum interpretem atque emendatorem, cuius editio omnino posita est in codice Pithocano.

Quos duos Vergilii versus Iuvenali ante oculos esse obversatos nemo est quin intellegat. Licet una iam voce „vacet“, quae eodem loco ab utroque poeta posita sit, imitatio exprimitur, tamen tota sermonis origo ex loco Vergiliano ducta est. Poeta enim quaedam narraturus ab audientibus vel legentibus veniam sibi rogat, si aequo longius disserat de re proposita. Qua de causa imitatio Iuvenaliana aperta est, etiamsi vel „si vacat“ vel „si vacet“, ut ait Quintilianus, vel etiam „vacet“, multis locis a scriptoribus usurpetur.

Iam vero apparet, quod acute et festive a Vergilio dictum sit, Iuvenalem acutius ac festivius id exprimere si Verg. Ecl. I v. 28:

Candidior postquam *tendenti barba cadebat*
in rem suam vertat sat. I v. 25:

Quo *tendente* gravis iuveni mihi *barba sonabat*.

Verbum „sonabat“ acutius est dictum, quam „cadebat“. Vergilius autem dicentem facit illo loco senem, qui iuvenis pretium sibi comparare neglexit, quo e servitute redimeretur. Senectutis autem tempus ille poeta festivo versu exprimit, quo assumpto Iuvenalis illustravit magna acerbitate tempus iuventutis suae praeteritum. Quem versum eodem sensu sat. X v. 226 adhibitum esse videmus.

Neque minus vestigia imitationis inveniuntur in sat. VI v. 41:

Quid fieri non posse putas, si iungitur ulla
Ursidio

coloremque huius loci referre possumus ad Verg. Ecl. VIII v. 26, 27:

quid non speramus amantes?
Iungentur iam grypes equis.

Similis apud utrumquo haec est sententia, quam Vergilius Ecl. X v. 69: „Omnia vincit amor“ exprimit. Poetae fingunt ineptas minimeque naturales coniunctiones vel hominum vel animalium, quarum eventus perniciosus iam antea perspicitur.

Atque a Vergiliano loquendi usu non alienum esse intellegemus, si comparaverimus Iuv. sat. VI v. 19:

Paulatim deinde ad superos *Astraea recessit*

cum Vergiliano in Georg. II v. 474:

Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Hoc argumentum a Iuvenale assumptum est: cum nimia luxuria ac pernicies in homines invasisset, Iustitia, diva illa virgo, quae est altero nomine Astraea appellata, „recessit ad superos“.

Iam vero Iuvenalis in divina illa sat. VI adversus sequiorem et nequiores sexum, ut Salmasii verbis utar, conscripta enumeratis aliis aliarum feminarum vitiis in rebus periculosis non iustam et honestam rationem sequi mulieres, sed potius trepidantes animo decidere exponit sat. VI v. 96:

nec tremulis possunt *insistere plantis.*

Satis elucet hoc loco satirarum scriptorem verba Verg. in Aen. XI v. 573:

Utque pedum primis infans vestigia *plantis.*

Institerat

ita mutasse, ut in rem suam congruerent,

Hoc in numero mulierum sceleratissimarum praecipue Caesoniam quandam affert Iuvenalis, cuius veneficae eiusdemque principis uxoris medicamenta Caesari infusa sat. VI v. 616 illustrat:

Cui totam *tremuli frontem* Caesoniam *pulli*

Infudit.

Comparari potest Verg. Aen. IV v. 515:

Quaeritur et *nascentis equi* de *fronte* revolsus

Et matri praeruptus amor . . .

neque dubium est, quin fons fuerit.

Item recurramus ad Vergilii Georg. III v. 282:

Hippomanes, quod saepe malae legere *novercae*,

unde Iuvenalianus versus receptus est sat. VI v. 133, 134:

Hippomanes carmenque loquar coctumque venenum

Privignoque datum.

Qua cogitatione Iuvenalis exposuit se suum dicendi genus proprium atque argumentum neglegentem certos satirae fines transgredi resque disserere dignas, quae a Sophocle in traegediis tractentur, eandem Vergilius illustravit, quo loco

pastorem de carminibus disputantem facit. Comparemus igitur Iuvenalis versus sat. VI v. 635, 636 :

Scilicet et finem egressi legemque priorum
Grande *Sophocleo carmen* bacchamur *hiatu*
et Vergilii Ecl. VIII v. 9, 10:

En erit ut liceat totum mihi ferre per orbem
Sola *Sophocleo* tua carmina digna *cothurno*.

Iam sermonis originem Iuvenalis debere videtur illi Vergiliano Ecl. III v. 26, 27:

Non tu in *triviis*, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula *disperdere carmen*
si in sat. VII v. 54, 55 egregium poetam illustrat:

Qui nihil expositum soleat *deducere* nec qui
Communi feriat *carmen triviale* moneta

Porro conferamus sat. VII v. 127:

Bellatore sedens curvatum *hastile minatur*
cum Verg. Aen. X v. 890, 891:

et inter

Bellatoris equi cava tempora *conicit hastam*
quibus in versibus substantivum „bellator“ congruit cum vocibus „bellator equus“, quo loco Vergilius „bellator“ tamquam adiectivum usurpavit. Iam vero verbum „minatur“ apud Iuvenalem verbo Vergiliano „conicit“ respondet. Qua de causa similitudo et imitatio est perspicua, licet singulae voces non satis congruere videantur.

Iam similitudo non latet comparantibus nobis sat. VIII v. 144, 145:

si nocturnus adulter

Tempora Santonico *velas adoperta cucullo?*
cum Verg. Aen. III v. 405:

Purpureo *velare* comas *adopertus amictu*.

Notum est Vergilium in Aen. II Troiae urbis expugnationem et disturbance[m] pulcherrime illustrasse eaque descriptione multis poetis posterioribus exemplum depingendae eiusmodi calamitatis proposuisse. Quo de fonte etiam Iuvenalem hausisse maxime est verisimile, cum sat. X v. 265, 266:

omnia *vidit*

Eversa et flammis *Asiam* ferroque cadentem

effinxerit ad Vergilianum exemplum in Aen. II v. 555:

Troiam incensam et prolapsa videntem

Pergama.

Atque in eadem satira, cum scriberet v. 567:

Tunc miles *tremulus* posita tulit arma tiara

memoria sine dubio continebat illum Vergilianum Aen. II v. 509, 510:

Arma diu senior desueta trementibus aeva

Circumdat nequiquam humeris.

Ac Iuvenalis tantum abest ut in depingenda Priami morte singulos tantum Vergilii versus imitatus sit, ut totam illius descriptionem in sat. X, in qua Troiae incendium Priamique mortem enarret, ante oculos habuerit.

Iam vel graviter dissuadet Iuvenalis vel acerbitatis suae virus evomit in homines castigandos omissa interdum inani artis doctrinaeque cupiditate, parum sectans inflatum orationis suae genus. Videmus enim Iuvenalem sat. X, in qua pericula pulchritudinis ac venustatis a pueris subeunda copiosius adumbraverit, patri cuiusdam pueri pulehri acerbe et cum ironia adhortari v. 310:

I nunc et *iuvenis specie* laetare tui.

Quo in versu Vergilii vestigia pressisse videtur. Qui Ecl. II de puero quodam Alexi magna pulchritudine insigni disputat, cuius amore Corydon pastor incensus est. Alexis autem non eadem libidine inflammatus pastoris amorem flagitiosum respuit, quare Corydon ille magna acerbitate adolescentem increpat v. 17:

O formosae *puer*, nimium ne crede *colori*.

Superstitio paene anilis inde ab antiquissimis temporibus permagna erat apud Romanos. Etiam quo tempore di coepti essent neglegi cum religione populi arte coniuncta erat et omina sive dextra sive sinistra multum valebant ad res humanas. Nimirum a poetis valde efficta est in carminibus. Quod in Vergilii libris probatum animadvertimus, si Aen. VII v. 64, 66, 67 afferamus:

Huius *apes summum* (mirabile dictu)

Obsidere apicem

Examen subitum raro frondente pependit

quo augurio ostentoque Aeneae a diis portendi dicit, ubi urbem condat.

Iuvenalis, „licet aetatem quasi baculo levet, caput tamen nunquam demittit, sed in nefarias superstitiones eadem iracundia invehitur, qua popularium luxuriam, vanitatem, avaritiam notavit“¹⁰⁾. Severissimus enim ille poëta, quem multis locis vel res divinas irridere animadvertimus taliaque portenta naturalibus posita esse in causis iudicare, ominum vanitatem non ignoro quin perspexerit. Nec mirum. Cum totam honestatem et probitatem e mundo esse sublatam omnesque res humanas ad mala principia causasque corruptas reducendas putaret, ab omni pietate et religione, quam in Vergilio permagnam esse miramur, plane se abdicavit. Atque haud scio an sat. XIII, in qua varia omina et miracula enumeret, quibus difficilius vera inter homines probitas inveniatur, praecipue v. 68, 69:

*Examenque apium longa contederit uva
Culmine delubri.*

alluserit ad locum illum Vergilianum.

Eandem de vanitate vitae humanae cogitationem Iuvenalis sat. XIII v. 142:

Nos viles pulli

pertractat, quo loco hemistichium illud Vergilianum Aen. XI v. 372:

Nos animae viles

videtur effinxisse.

Atque illo Vergilii loco, quo de mortuorum animis mentionem facit, moneor, ut aliam imitationem afferam illius exemplari depromptam.

Vergilius enim in libro VI, quo inferorum domicilia praeclarissime illustravit, deam Rhadamanthi munus iudiciale depingentem facit v. 567:

Rhadamanthus

Castigatque auditque dolos subigitque fateri.

Quam descriptionem Iuvenalis sine dubio memoria retine-

¹⁰⁾ C. Fr. Hermannus in ed. Iuvenal. p. X

bat, cum sat. XIII copiose illustret, quam horribilibus somniis homo secleratissimus perterreatur, quo modo hominis offensi imago apparens Rhadamanthi munere iudiciali fungatur, Vergilianas illas voces suas reddidit v. 222:

turbat pavidum *cogitque fateri*.

Deinceps poëta terrores et tormenta, quae ex mala hominis conscientia irruant in eum, accuratissime depingit. Atque etiam his in rebus descriptio eius manavit ex Vergilio. Conferendi enim sunt illi loci, quibus tonitrus fragorem uterque poëta exprimit: Verg. Aen. I v. 160:

Interea magno misceri *murmure coelum*

Incipit.

et Iuv. sat. XIII v. 224:

Exanimis primo quoque *murmure coeli*.

Verisimile est Iuvenali illum Vergilii versum obversatum esse Aen. V v. 267:

Cymbiaque *argento* perfecta atque *aspera* signis
cum in sat. XIV v. 62 scriberet:

Hic leve *argentum*, vasa *aspera* tergeat alter.

Quae similitudo in scholiis veteribus demonstratur; imitatio autem posita videtur esse in vocibus „aspera“ respondentibus, quibus vasa caelata significantur.

Etsi non plane in aperto est Iuvenalem superiore loco Vergilii exemplum secutum esse, at dubitari non potest, quin hic locus, quem illustrabimus ad Vergilium respiciat. Is enim in Georg. II v. 140—142 comparatione cum aliis terrae regionibus facta Italia patria glorians fabulosam illam Cadmi historiam obtingit:

Haec loca non tauri spirantes naribus ignem

Invertere satis immanibus *dentibus hydri*

Nec *galeis* densique virum seges *horruit* hastis.

Quod Vergilii exemplum praeclarissimum non mirum est Iuvenalem praeter alia multa penitus animo retinuisse indeque colorem duxisse illius descriptionis, qua Thebanorum urbem, Menoeci patriam dilectam, designet sat. XIV v. 241, 242:

In quorum sulcis legiones *dentibus anguis*

Cum *clipeis* nascuntur et *horrida* bella capessant.

Iam vero in depingendis proeliis ac decertationibus Vergilii Aeneis etiam aliis locis exemplum fuit poetae nostro, unde scilicet sermonis et descriptionis originem assumpsit. Huc referenda est narratio de rixis apud Aegyptios exortis, quas Iuvenalis sat. XV illustravit. Sed ut imitatio Iuvenaliana satis eluceat totum escribam locum, v. 63—68:

*Saxa inclinatis per humum quaesita lacertis
Incipiunt torquere, domestica seditioni
Tela, nec hunc lapidem, quales et Turnus et Ajax
Vel quo Tydides percussit pondere coxam
Aeneae, sed quem valeant emittere dextrae
Illis dissimiles et nostro tempore natae.*

Quamquam non omnem hunc locum Iuvenalem Vergilio debere intellegimus, tamen nonnullos versus ad exemplum in Aeneide propositum eum fecisse manifestum est. Qua de causa cum illis Iuvenalianis versibus velim compares imprimis Vergilii Aen. XII

- v. 896: *saxum* circumspicit ingens
v. 897: *campo* quod forte iacebat
v. 900: *Qualia nunc hominum producit corpora Tellus*
v. 901: *Ille manu raptum trepida torquebat in hostem*
v. 904: *saxumve* immane moventem.

Attamen non alienum est, quin satirarum scriptor illam sermonis originem non sine aliqua ironia mutuatus sit a divino poeta.

Quamquam Iuvenalis in extremo satirarum libro non multis locis Vergilii exemplum imitatus est memoria non iam nimis adiuvente, tamen manifestum est ei, cum sat. XV v. 127, 128 scripserit:

inutile vulgus

Parvula fictilibus solitum dare vela phaselis

Et brevibus pictae remis incumbere testae

in mentem venisse illos versus Vergilianos Georg. IV 287, 289:
gens fortunata Canopi

Et circum pictus vehitur sua rura phaselis.

Ab utroque poeta de „pictis phaselis“ mentio fit, quo nomine navicula Aegyptiorum testea materia vel papyro conformatae et constructae designantur.

Ab illa imitandi ratione, qua Iuvenalis totam sermonis originem vel locorum quorundam colorem a Vergilio deprompsit, alia discrepat aliquantum, quae continetur vocibus quibusdam ab illo poeta cum acute tum festively dictis. Iuvenalis enim multas voces vel elocutiones festivas Vergilio mutuatus ita mutavit et adhibuit, ut satiris suis accommodare possit. Poeta scilicet satiricus, quippe qui Neronis et Domitiani tempora viderit, cum omnes res et publicae et domesticae pessumdarentur vitiorumque omne genus iam in praecipiti staret, Vergilii voces nonnunquam lepidissimas et iocosas ita assumpsit, ut interdum summa eius indignatio et ira patefiat, non raro ironia quaedam eluceat spectans ad generosum illum poetam.

Ac primum quidem comparari velimus Verg. Aen. XI v. 424:

cur *ante tubam* tremor occupat artus
et Iuv. sat. I v. 167, 168:

Tecum prius ergo voluta
Haec anime *ante tubas*.

Apparet ab utroque poeta vocibus „ante tubam“ sive „ante tubas“ initium belli designari, quae metonymia nescio an apud priores non inveniatur scriptores. Qua voce cum Vergilius primus ita usus esse videatur, non dubito contendere illo loco satirarum scriptorem recurrisse ad Vergilii versum.

Iam a Vergilii loquendi usu non discrepare arbitramur illum locum in sat. II v. 65:

Sed *quid* non *facient* alii, *cum* tu multicia sumas
quem scripsisse videtur non sine illius exemplo in Eclog. III v. 16 proposito:

Quid domini *facient*, *audent cum* talia fures.

Nec omittamus sat. III v. 1:

Quamvis *digressu* veteris *confusus* amici
quo loco Iuvenalis Vergilianae elocationis studiosus ante oculos habuisse videtur Aen. III v. 482:

Nec minus Andromache *digressu maesta* supremo.

Vergilium imitando exprimit Iuvenalis, si sat. IV v. 36 dicit:

Prosit mihi vos *dixisse* puellas!

respiciens illum Aen. IX v. 92:

Prosit nostris in montibus ortas.

Imitatio enim continetur voce „*prosit*“ a Vergilio festive expressa et mira constructione adhibita, id, quod iam Büchelerus vir doctissimus demonstravit cf. Bursian: Jahresbericht, XXVII p. 65.

Saepenumero lepidi Iuvenalis ioci praecipue ad vanitatem sententiarum vel fabularum poëticarum spectant, quas deridendi nullam praetermittit occasionem.

Ita Vergilius in Aen. III v. 390—392:

Litoreis ingens inventa sub ilicibus *sus*

Triginta capitum fetus enixa iacebat

Alba, solo recubans, albi circum ubera nati.

sententiam pervulgatam exprimit ostentumque illustravit, quo Aeneae olim navigandi finis factus esset.

Ad quem locum Iuvenalem respicere patet, cum pro voce „*sus*“ ridiculam illam „*scrofa*“ ponat fabulamque in suam rem transferat sat. VI v. 177:

Atque eadem *scrofa* Niobe fecundior *alba*.

Huc referenda est vox „*hyperboreis*“ a Vergilio egregie dicta Georg. III v. 196, 197:

Qualis *hyperboreis* aquilo cum densus ab oris

Incubuit.

quam vocem Iuvenalis cum iocatione quadam lepida in graecam usurpatam mutuatus esse videtur sat. VI v. 470:

Exul *hyperboreum* si dimittatur ad axem.

Atque in eiusmodi imitationum Iuvenalianarum numero ducendae sunt voces in sat. VI v. 485 exstantes:

Intonet horrendum

quibuscum conferas Aen. XII v. 700:

horrendumque intonat armis.

Liceat nobis denique huc referre comparisonem et inter Iuv. sat. XII v. 31, 32:

Alternum puppis latus evertentibus undis

Arboris incertae.

et Verg. Aen. V v. 504:

Et venit adversisque infigitur *arbore mali*.

Iuvenalis miro modo „arbor“ pro malus“ posuit, cum Vergilius „arборе mali“ optime coniunxerit. Attamen imitatio Iuvenaliana manifesta est ¹¹⁾).

Iam vero ad demonstrandam novam imitandi rationem, quae insit in satiris Iuvenalianis, comparandi sunt et Vergilii quidam loci et satirarum scriptoris, quibus hic voces Vergilianas assumpserit in versus quosdam exeuntes. Illae scilicet voces diversae reperiuntur et numero et casu neque minus discrepantes substantivi et adiectivi compositione aut transmutato et adiectivo et substantivo et verbo. Quam imitandi rationem maxime positam esse in usu versus dactylici non est infitiandum.

Licet certae locutiones versuumque partes omni aetate, qua latini versus sint compositi, nobis occurrant ¹²⁾ ita, ut omnibus videantur communes scriptoribus, tamen controversia non est, quin poetarum multi versus extremis vocibus simillimi appareant imitationes.

Atque comparemus:

Verg. Aen. III v. 484:

nec cedit honore

et Iuv. sat. I v. 110:

nec cedat honori;

Aen. IV v. 535:

secumque ita corde volutat

¹¹⁾ Lectorem ad ea remittam, quae O. Ribbeckius de hoc loco describit in libro, qui inscribitur: „Der echte und der unechte Iuvenal“ p. 60—62.

¹²⁾ Exempli gratia afferamus et comparemus voces „rumore secundo“ versus quosdam claudentes:

Enn. Annal. v. 266 (ed. J. Vahlen):

Mox auferre domos populi rumore secundo;

Lucil. reliqu. p. 311 (ed. Müller):

Redeunt referunt laeti rumore secundo;

Verg. Aen. VIII v. 90:

Ergo iter inceptum celerant rumore secundo;

Hor. Epist. I 10, 9:

Quae vos ad caelum effertis rumore secundo;

Claudian. Epithal. 63:

Secessit regio quo non rumore secundo.

et sat. I v. 168:

tecum prius ergo voluta.

Aen. XI v. 347: *moresque sinistros*

et sat. II v. 87: *sed more sinistro;*

Aen. VIII v. 595: *it clamor et agmine facto*

et sat. III v. 162: *agmine facto;*

Ecl. IX v. 4: *veteres migrate coloni*

et sat. III v. 163: *tenuis migrasse Quirites;*

Aen. IX v. 213: *pugna pretiove redemptum*

et sat. IV v. 2: *nulla virtute redemptum;*

Aen. XII v. 643: *id rebus defuit unum*

et sat. IV v. 128: *hoc defuit unum;*

Aen. I v. 708: *toris iussi discumbere pictis*

et sat. V v. 12: *quod tu discumbere iussus;*

Aen. VIII v. 315:

Gensque virum Truncis et duro robore nata

et sat. VI v. 12:

homines qui rupto robore nati;

Verg. Aen. VIII v. 535:

Vulcaniaque arma per auras

et Aen. III v. 234: *tunc arma capessant,*

quos duos Vergilii versus Iuvenali obversatos esse nemo non concedet cum legerit Iuv. sat. VII v. 27:

Vulcaniaque arma capessas.

Iam comparationem esse velimus et inter Verg. Aen. VI v. 404:

Erebi descendit ad umbras

et Iuv. sat. X v. 258:

Priamus venisset ad umbras;

Aen. XII v. 431: *hastamque coruscat.*

et sat. XII v. 6: *frontemque coruscat;*

Verg. Georg. I v. 114:

bibula deducit arena

et Iuv. sat. I v. 157:

sulcum deducis arena

quam imitationem iam Friedlaenderus annotavit cf. Bursian: Jahresbericht, XIII p. 175;

Verg. Aen. V v. 818:

manibusque *omnes effundit habenas*

et Iuv. sat. XIV v. 230:

Dat libertatem et *totas effundit habenas*;

Commemorandum est Iuvenalem Vergilianas voces de auriga usurpatas transtulisse ad patrem, qui puerum educatione moderari non potest. Quam dictionem etiam apud alios poëtas, ut Valerium Flaccum, invenimus, qui quidem ante Iuvenalem scripsit, sed hic sine dubio Vergilium secutus est. Iam ad illam imitationis speciem nonnullos locos adiungamus, quibus Iuvenalis quasdam voces versus exordientes de Vergilio videtur mutuatus esse.

Qua in ratione imitandi eadem nobis dicenda sunt, quae de locis vocibus extremis simillimis. Transeo igitur ad comparanda nonnulla exempla, quae Iuvenalis non sine Vergilii auctoritate scripsisse videtur:

Verg. Georg. III v. 103: *Nonne vides cum*

et Iuv. sat. III v. 249: *Nonne vides quanto*;

Aen. IX v. 300: *Per caput hoc iuro*

Iuv. sat. VI v. 16, 17: *iurare*

Per caput alterius . . .;

Ecl. II v. 2: *Delicias domini*;

et sat. VI v. 47: *Delicias hominis*;

Aen. VIII v. 158: *Laomedontiaden Priamum*

et sat. VI v. 326: *Laomedontiades*.

Huc referenda videtur esse anaphora eodem verbo expressa in Aen. III v. 85:

Da propriam, Tymbraee, domum, da

et sat. X v. 188: *Da spatium vitae, multos da*.

Progrediamur nunc ad nonnullas translationes sive metaphoras Iuvenalianas. Videmus in satiris nonnunquam certas quidem Vergilii voces, quarum significationem veram ac propriam Vergilius adhibuit, translatas esse ad sententiam impropriam ac figuratam, quod apparebit comparatione facta inter Verg. Aen. XII v. 474, 475:

hirundo

Pabula parva legens *nidisque loquacibus* escas,

quo loco „nidi loquaces“ dicuntur hirundinis pulli nondum

volucres itaque iam hac in re metaphora adhibetur, et Iuv. sat. V v. 142, 143:

ipse loquaci

Gaudebit *nido*,

ubi tribus pueris natis significatio inditur „nidus loquax“.

Vel etiam imitationem ita adhibitam videmus, ut sententia de certa persona vel re aut propria quaedam efficta a poeta imitatore translata sint ad alias personas vel alienas res. Quod probatum intellegimus esse comparatis Iuv. sat. VI v. 50:

Paucae adeo *Cereris vittas contingere dignae*

et Verg. Aen. II v. 166:

Virgineas ausi *divae contingere vittas*.

Nonnunquam translationem effingi animadvertimus ita, ut quod plerumque personae sit proprium, ad rem inanimam transferatur, personae autem proprium nulla eius facta commemoratione lectoris animo obversetur. Atque eius modi imitatio Iuvenaliana nobis occurrit sat. VII v. 41, 42:

ferrata domus,

In qua *sollicitas* imitatur *ianua portas,*

quam imaginem satirarum scriptor ex illo loco Vergiliano Aen. VII v. 617 effinxisse videtur:

More iubebatur *tristesque recludere portas*.

Alia exempla huc referamus, quibus ab utroque poetae notiones ad res inanimas transferuntur, quae plerumque cum hominibus vel animalibus conectuntur: Verg. Georg. I v. 514:

neque audit currus habenas

et Iuv. sat. XIV v. 231:

Curriculo, quem si revoces, subsistere nescit.

Atque splendidissimum illud comparandi genus ac rationem, qua Homerus Vergilio optimo fuit exemplo, praestantissime Iuvenalis imitatus est cum scriberet sat. I v. 42, 43:

et sic

Palleat ut nudis pressit qui calcibus anquem

transmutato Verg. Aen. II v. 379, 380:

Improvisum aspris *veluti qui sentibus anquem*

Pressit humi nitens trepidusque repente refugit.

Similitudo inde satis elucet, quod uterque poetae timoris

vel palloris affectum ad eandam causam reducat eademque comparatione usus sit.

Ad eandem sententiam exprimendam Iuvenalis comparationem assumpsit de Verg. Ecl. I v. 49, 50:

Non insueta gravis temptabunt pabula fetus

Nec mala vicini pecoris cortagia laedent

cum scriberet sat. II v. 78—80:

Dedit hanc *contagio* labem

Et dabit in plures, sicut grex totus in agris

Unius scabie cadit et porrigine porci.

Iuvenalis enim comparationem facit inter virum nudum ingredientem, qui aliis malum exemplum dabat damnumque inferebat, et inter porcum scabie foedatum, quo uno totus grex inficitur.

Idem in depingendis mulierum vitiis nocendi earum furem illustravit sat. VI v. 648—650:

rabie iecur incendente *feruntur*

Praecipites ut saxa iugis abrupta, quibus mons

Subtrahitur clivoque latus pendente recedit.

Qua in comparatione nemo non concedet ei ante oculos fuisse Vergilium, qui de Turno ad muros irruente eadem comparatione usus est Aen. XII v. 684, 685:

Ac veluti montis saxum de vertice praecipit

Cum ruit avolsum vento

et v. 889, 890:

Turnus

Sic urbis *ruit* ad muros.

Iam vero ea exempla imitationis exponenda sunt, in quibus Iuvenalis nomina quaedam a Vergilio usurpata in rem suam convertit sive quibus personas certas significare in animo habuit sive nomina satiris inseruit, quibus certas res exprimeret. His autem in imitationibus ex satirarum scriptoris ingenio nonnunquam contingit, ut incidat in irridendas eas res, quas Vergilius certis nominibus coniunxerit.

Atque Iuvenalis saepe numero tali imitatione usus non modo totum Vergilii locum quendam respicit ita, ut nomen ab illo petitum longius illustret et narrationem cum eo conexam accuratissime depingat, sed etiam solum nomen mutuatur, qua

re appareat consulto atque de industria eum exemplum illius adhibuisse.

Ac primum quidem Iuvenalis non sine Vergilio auctore scripsisse videtur sat. I v. 60, 61:

dum pervolat axe citato

Flaminiam, *puer Automedon*.

respiciens ad Verg. Aen. II v. 476, 477:

equorum agitator Achillis

Armiger Automedon.

Quo nomine „Automedon“ ab utroque poëta clarissimus ille apud Homerum saepe commemoratus auriga Achillis dicitur, ita vero, ut Iuvenalis magna cum acerbitate hoc nomen in hominem quendam luxuriosum eundemque praefectum militum transferat, quem non pudeat „axe citato Flaminiam pervolare“.

Etiam inde imitatio quaedam perspicitur quod Iuvenalis nonnulla clarorum virorum nomina inseruit sat. II v. 153, 154:

Curius quid sentit et ambo

Scipiadae, quid Fabricius manesque *Camilli*

quae nomina sine dubio deprompsit illustri illi Vergilii loco, ubi in Georg. II amoenas Italiae regiones claramque patriam describit insignesque viros inde exortos commemorat v. 169, 170:

Extulit haec Decios, Marios magnosque *Camillos*

Scipiadas duros bello.

Verumtamen reputandum est Iuvenalem haec sola nomina mutuatum esse ut comparisonem afferat inter illos viros clarissimos et eos Romanos enervatos et pathicos, qui talibus sint orti maioribus.

Neque minus perspicuum est Iuvenali in sat. III v. 70:

Hic Andro ille *Samo*, hic Trallibus aut Alabandis

ante oculos versatum esse illum Vergilianum Aen. I v. 16:

Posthabita coluisse *Samo*: hic illius arma.

Vergilius enim Samum, ubi Iunoni templum erat constructum, pulcherrimam ac copiosissimam urbem depingit prope modum mirans posthabitam esse a Iunone aliis urbibus magnificis. Idem exprimit Iuvenalis. Complures urbes opulentas ac magnificas nominatim affert, imprimis Samum, quae

omnia vitae urbanae commoda praeberet, licet multi homines scelesti inde Romam peterent, ubi vitae incommoda innumera-bilia essent. Sed non solum Iuvenalis Vergilii cogitationem suam reddidit assumpto Sami nomine, verum etiam ex eius auctoritate hiatum „Samo hic“ admisit, quo de imitandi genere infra disputandum erit.

Nec praetermittendus est sat. V v. 125:

Duceris planta velut ictus ab Hercule *Cacus*

quo loco nomina Iuvenalis desumpsit de narratione in Verg. Aen. VIII expressa eique imprimis ante oculos versati sunt v. 259: Hic *Cacum*

v. 260: *corripit*

v. 664: *pedibusque* informe cadaver

v. 265: *Protahitur*.

Hoc in numero etiam illa similitudo haberi potest, quae perspicua est comparatione instituta inter Iuv. sat. VI v. 569, 570 :

Haec tamen ignorat, quid *sidus triste* minetur

Saturni

et Verg. Georg. I v. 335, 336:

et sidera serva

Frigida Saturni sese quo *stella* receptat.

Imprimis huc duo nomina respicere videntur, quae Iuvenalis a Vergilio mutuatus est. Conferamus igitur sat. VII v. 234, 235:

nomen patriamque *novercae*

Anchimoli

cum Aen. X v. 389:

Anchimolum thalamos ausum incestare *novercae*

et Iuv. sat. VII v. 235, 236:

dicet quot *Acestes* vixerit annis

Quot *Siculi Phrygibus vini donaverit urnas*

cum Verg. Aen. I v. 195, 196:

Vina bonus quae deinde *cadis* onorarat *Acestes*

Litore *Trinacrio dederatque* abeuntibus heros.

His duobus locis Iuvenalem illas narrationes, quas Vergilius exposuerat copiosius, leviter tetigisse videmus indeque

nomina mutuatum fabulas cum iis arte coniunctas paucis vocibus indicasse.

Iam supra demonstravimus Iuvenalem nonnunquam voces Vergilianas satiris inseruisse earumque usu lepide iocatum esse in divinum poëtam. In sat. VIII v. 120 Iuvenalis talem vocem ab ipso Vergilio usurpatam in rem suam transmutavit:

Cum tenues nuper Marius *discinzerit Afros*
 eaque voce „discinzerit“ pro „spoliaverit“ usurpata lepide imitatus est Verg. Aen. VIII v. 724:

discinctos Mulciber *Afros*.

Cum autem vocem a Vergilio depromptam coniunxerit aequae atque ille poëta voce „Afros“, satis apparet hanc imitationem non superiore loco disserendam fuisse, sed huc referendam, ubi de nominibus exponatur, quae Iuvenalis mutuatus sit.

Eandem imitandi rationem Iuvenalis observat cum sat. XI v. 60, 61:

Nam cum sis conviva mihi promissus habebis

Euandrum

Vergilianam narrationem in Aen. VIII expositam leviter attigerit illoque de fonte nomen Euandri mutuatus fabulam paucis adumbraverit, praecipue respiciens v. 100:

tum res inopes *Euandrus* habebat.

Restat ut hoc in numero nominum a Vergilio translatorum ducamus fluvium Clitumnum, qui commemoratur sat. XII v. 13:

Laeta sed ostendens *Clitumni* pascua sanguis.

Licet fertilissima illa regio, quam Clitumnus flumen irrigat fabulaque ei conexas omnibus Romanis eruditibus nota fuerit, tamen non est cur satirarum scriptori non observatus sit Verg. Georg. II v. 146, 147:

Hinc albi, *Clitamne* greges et maxima taurus

Victima saepe tuo perfusi flumine sacro.

Fabula autem docebat omnes greges circum flumen pascentes indeque aquam haurientes albos evadere, id quod Iuvenalis attigit sat. X v. 65, 66:

Duc in Capitolia magnum

Cretatumque bovem

Lucretianum illud reddens:

Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.

Iam vero alii multi docent loci Iuvenalem in Vergilii scriptis studiose ac multum volutatam ex illo auctore pendere. Huc refereedae sunt eae dicendi rationes, quibus uterque poëta eandem imaginem exprimere voluerit. Qua in re distinguere possumus inter eas imitationes Iuvenalianas, in quibus imaginum similitudo magna ex parte vel iisdem vel similibus significata sit vocibus easque inter, quas elucet ex Vergilio prope totas esse effectas.

Quod si deinceps satirarum libros perserutamur primum quidem imaginum similitudo nobis sat. II v. 149—152 apparet, quo loco a Iuvenale copiosius depingitur „via Tartarei, quae fert Acherontis ad undas“:

Esse aliquos manes et subterranea regna
Et *contum* et Stygio ranas in gurgite nigras
Atque una transire vadum tot *milia cymba*
Nec pueri credunt.

Quam descriptionem evasisse patet ex Vergilii Aen. VI v. 295 sq., praecipue v. 302, 303:

Ipse ratem *conto* subigit velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat *corpora cymba*.

Praeclarissime Iuvenalis vanitatem et brevitatem vitae humanae illustrat sat. IX v. 126—128:

festinat enim *decurrere velox*
Flosculus angustae miseraeque *brevissima vitae*
Portio

quo loco in animo habuisse videtur Verg. Aen. X v. 467, 468:

Stat sua cuique dies, *breve et irreparabile tempus*
Omnibus est *vitae*.

Magnam similitudinem prae se ferunt illi loci, quibus poëtae senectutis difficultates et hominum et animalium illustrant, quamvis Iuvenalis imaginem nimis horridis coloribus depinxerit adeo, ut hunc locum invitum me tractasse confitear. Comparemus Verg. Georg. III v. 95—100, ubi de equo iam ad senectutem propecto scribitur:

Hunc quoque ubi aut *morbo gravis* aut iam *segnior*
annis

Deficit, abde domo, nec *turpi ignosce senectae*
*Frigidus in Venerem senior frustra*que laborem
 Ingratum trahit, et *si quando ad proelia ventum*'st
 Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis
Incassum furit.

et Iuv. sat. X v. 190 sqq.:

Sed quam continuis et quantis longa *senectus*
Plena malis.

v. 204: nam *coitus* iam longa oblivio vel *si*

v. 205: *Coneris*, iacet exiguus cum ramice *nervus*

v. 207: Anne aliquid *sperare potest* haec inguinis *aegri*

v. 208: *Canities.*

Quae acerba descriptio senectutis malorum continuatur
 Iuv. sat. X v. 217 sqq.:

Praeterea minimus *gelido iam corpore sanguis*
 Febre calet sola: *circumsilit* agmine facto
Morborum omne genus

quo loco satirarum scriptorem de carmine Vergilii notissimo
 cogitasse non prorsus infitiandum est. Qui eandem imaginem
 Aen. V v. 395, 396 illustrat:

sed enim *gelidus* tardante senecta
sanguis hebet, *frigentque effetae* in corpore *vires.*

Pracelaram esse Iuvenalis imitationem ad Verg. Georg.
 spectantem, quae splendidissimis imaginibus abundant intellegitur
 comparatione instituta inter Verg. Georg. III v. 232
 —234:

iuvenca

Et temptat sese, atque irasci in *cornua* discit
Arboris obnixus trunco

et Iuv. sat. XII v. 9:

vitulus,

Qui *vexat* nascenti *robora cornu.*

Ad Aen. I v. 88, 89:

Eripiunt subito *nubes caelumque* diemque

Tencrorum ex oculis; ponto *nox* incubat *atra*

pertinere verisimile est Iuv. sat. XII v. 18—19:

densae coelum abscondere tenebrae

Nube una.

In Aeneide II v. 355 sq. Vergilius metum ac tumultum Troianorum fugientium et trepidantium pulcherrime depingit eosque comparat eum lupis in praedam irruentibus v. 356—357:

quos improba ventris

Exegit caecos rabies

quam descriptionem optime assumpsit Iuv. sat. XV v. 99—100:
quidquid

Cogebat vacui ventris furor

ubi „longae diram obsidionis egestatem“ Vasconum gentis illustrat.

Atque hae quidem imitationes Iuvenalianae, quae continentur sermonis colore ex Vergilio deprompto, translationibus, comparationibus, imaginibus inde assumptis mihi exstare videntur: nunc in altera huius dissertationis parte Vergilium etiam in rebus grammaticis et metricis illi exemplo fuisse demonstrabimus.

Perlegentibus nobis satiras Iuvenalianas complures occurrunt loci, quibus poëta „ac“ particula eodem modo, quo Vergilius usus esse videtur. Qui cum copulam hac particula „ac“ exprimat „sententiam, quae effectum actionis sententiae praegressae exprimit, adiungere solet“, id quod doctissimus ille L. O. Kiaerius¹³⁾ exposuit. Quamquam is quia gravius sonent a Iuvenale formas „ac“ et „nec“ ubique praeferrari videri particulis similibus suo iure contendit, tamen non est cur commune Vergilii exemplar secutam illum esse negemus, qui eadem de causa et ratione particulam „ac“ usurpaverit.

Missis aliis exemplis huc revocandos esse putamus Vergilii in Ecl. IV v. 9, 10:

Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum

Desinet, ac toto surget gens aurea mundo

vel in Aen. I v. 82, 83:

Impulit in latus: ac venti velut agmine facto

Qua data porta ruunt.

¹³⁾ Sermonem D. Iunii Iuvenalis certis legibus astrictum demonstrare conatus est Ludolphus O. Kiaer, Hauniae 1875.

Quem particulae usum Iuvenalem imitatum esse, nemo negabit, si comparaverit sat. I v. 21:

Si vacat, *ac* placidi rationem admittitis edam.

sat. VI v. 328, 329:

tum femina simplex

Ac pariter toto repetitur clamor abantro;

sat. VI v. 423, 424:

Callidus et cristae digitos impressit aliptes

Ac summum dominae femur exclamare coëgit;

sat. VIII v. 153, 154:

et occursum nunquam trepidavit amici

Iam senis, *ac* virga prior annuet

sat. XII v. 54—56:

tunc adversis urgentibus illuc

Reccidit ut malum ferro summitteret *ac* se

Explicat angustum.

Ut pergamus demonstrare, quo modo Iuvenalis particulam copulativam auctore Vergilio posuerit compluribus locis, inde etiam imitatio quaedam cognoscitur, quod poëta duobus satirarum locis particulam „et“ usurpavit, ut et interrogationem inciperet et novam sententiam a praecedenti seclusam adiungeret. Quae structura occurrit nobis apud Iuvenalem sat. I v. 87:

et quando uberior vitiorum copia?

sat. VI v. 342:

Et quis tunc hominum contemptor numinis?

His cum versibus velim compares illos Vergilianos Aen. I v. 48, 49:

et quisquam numen Iunonis adorat

Praeterea aut supplex aris imponet honorem?

et Aen. VI v. 806:

Et dubitamus adhuc virtute extendere vires

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?

Qui particulae usus apud priores quam Vergilium scriptores forsitan non inveniatur. Attamen hos ipsos versus Iuvenali ante oculos fuisse, cum simili modo particulam usurpaverit, non satis perspicuum est. Nil refect. Hoc enim nostrum

erat demonstrare ea in re diversitatem non esse inter Vergilium et Iuvenalem indeque huius imitationem non facile esse reiiciendam.

Atque etiam hoc mihi exemplum imitationis Iuvenalianae videtur esse. In sat. II v. 40, 41:

sed tamen unde

Haec emis

voces „sed tamen“ usurpatae sunt, quae est conduplicata coniunctio. Idem invenimus in Verg. Ecl. I v. 18:

Sed tamen iste deus qui sit da, Tityre, nobis.

Mirum est utrumque poëtam duplici coniunctione usum esse in interrogatione, Iuvenalem in directa, Vergilium in indirecta, quod quidem apud Ciceronem, qui duas coniunctiones identidem conexas usurpavit, iuveniri vulgo inter viros doctos non constat.

Sed tamen nulla exstat causa, cur satirarum scriptor illam Vergilii licentiam secutus non sit statuendus.

Atque hae quidem grammaticae res Vergilio et Iuvenali communes, licet apud alios poëtas posteriores non prorsus non inveniantur, tamen tam propriae utriusque poëtae tamque rarae sunt, ut in earum usu satirarum scriptori epici poëtae exemplum obversatum esse probabile sit.

Iam vero inquiramus quomodo Iuvenalis metri rationes a Vergilio praecipue usurpatae imitatus sit quaeque in rebus prosodiacis huic debeat.

Saepe numero inter scriptorum antiquorum emendatores fuerunt, qui versus emendandos accommodarent ad rem metricam, quoniam licentiis quibusdam ad metri rationem spectantibus poëtae indulgere omnino non deberent.

Veruntamen praecipue poëtae, qui primo exeunte post Christum natum saeculo erant, non tantum operae in ratione metrica observanda collocaverunt licentiasque sibi vindicaverunt, quae antea notae non erant. Quam ob rem in talibus interpretandis scriptoribus, quo in numero Iuvenalis, omnes loci, qui vulgari metri ratione non congruant tantum abest ut sint emendandi, ut statuendum sit, poetas a legibus de re metrica propositis saepissime declinasse.

Ac primum quidem hoc perspicuum est sat. VIII v. 105:
Inde Dolabella atque hinc Antonius inde.

Sic etiam vetus scholiastes legit idemque in magna codicum parte traditum est. Tamen nonnulli Iuvenalis editores vocis formam „Dolabella“ recipere nolebant, quoniam concedendum non esset ante vocalem in arsi vocalem brevem produci et elisionem reici¹⁴⁾. Male igitur alii emendatores post vocem „Dolabella“ „est“ retinuerunt et post illud nomen insertum esse voluerunt, quo suffixo vocabulo syllabam longam effingerent, alii, in quibus C. Fr. Hermannus „Dolabellae“ coniecerunt et in editionem receperunt, alii Lachmanni exemplar secuti sunt, qui vocibus „atque dehinc“ interpositis huic loco mederi conatus est.

Quas emendationes ad irritum redegit L. O. Kiaerius in illo libro, de quo supra diximus: „Dolabella“ retinuit et probavit. Nimirum. Non est cur Iuvenalis non ita scripserit neque secutus sit morem a priore aureae latinitatis poëta adhibitum. Vergilius enim Aen. XII v. 648:

Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae
eadem licentia usus „anima“ ita posuit, ut vocalis „a“ brevis ante vocalem „a“ in arsi longa facta sit¹⁵⁾.

¹⁴⁾ Vocalis brevis ante vocalem in arsi posita ex multorum interpretum sententia in satiris Iuvenalianis exstare nequit, quod neque multa sunt exempla apud priores poëtas, neque Iuvenalis hiatui nisi iis locis indulgere videtur, quibus vocalis longa in arsi posita est. Conferas sat. I v. 151; II v. 26; III v. 70; V v. 158; VI v. 274; v. 468; X v. 281; XII v. 36, 110; XIV v. 49; XV v. 126; ubi reputandum est sat. XII v. 110 in vocibus „belli et“ hiatum positum esse adversus coniecturam C. Fr. Hermannii, „bellique“ supponentis, quam L. O. Kiaerius praeclarissime refutavit.

¹⁵⁾ Non ignoro quamobrem doctissimus ille O. Ribbeckius in editione Vergiliana loco vocis „inscia“ „nescia“ substituerit. Concedendum enim esse negavit hoc loco legi:

Sáncta ad vós animá, átque ‘stíŭs ‘nscíã cúlpae
Vocalis, inquit, brevis ante vocalem, cum in arsi est posita, produci non debet. Talia exempla apud priores haud facile veniuntur. Ea de causa „nescia“ substituit, qua emendatione effingeretur:

Sáncta ad vós anim(a), átque istíŭs nésclã cúlpae.

Idem exemplum Iuvenalis secutus esse videtur, cum scripserit sat. X v. 54:

Ergo supervacua¹⁶⁾ aut perniciose petuntur.

Plures imitationes Iuvenalianas, quae spectant ad metri rationem, indagari non potuerunt. Nihilominus loci, quos explicavimus, licet paucos aequi bonique faciamus oporteat, multum valent ad demonstrandam huius generis imitationem.

Atque omnibus, de quibus dictum est, locis, Iuvenalis ita simplex et sincerus Vergilii imitator esse voluit, ut aut voces sententiasve poetae heroici integras reciperet, aut suas sententias illius more confingeret, aut Vergilii leges grammaticas et metricas observaret.

Iam restat, ut uberius illustremus in tertia dissertationis parte Iuvenalem acerbum malorum castigatorem atque severum commendatorem virtutum, id quod ipsius maxime proprium esset, interdum Vergilianis locis assumptis et insertis poetae verba et versus ad aliud quoddam argumentum idque saepissime ridiculum detorsisse. Nimirum illud imitandi genus secutus est, cui vulgo parodiae nomen est inditum.

Ac priusquam de iis exemplis disseramus, quae in satiris Iuvenalianis parodiae instar expressa sint, nonnulla exponam de hoc imitandi genere.

Praecipuae seiungendae sunt eae parodiae, quibus peculiare versus scribendi genus continetur, quo totum carmen quoddam

Nam voce „nescia“ supposita syllaba „us“ in voce „istius“ positione syllabae producitur.

Cuius viri praeclearissimi sententiam et emendationem probare nequimus, praesertim cum in codicibus plerisque et optimis „inscia“ legatur. Neque enim intellego, quam obrem Vergilius uno loco de metri ratione non liberius, quam aequum esset, arbitratus deflexerit neque Iuvenalis eadem licentia usus Vergilium imitatus sit. An vero non licuit illi Vergilio, cuius facilitas et venustas in conscriptis versibus probata poetis omnium temporum exemplo erat, declinare a regula de metri usu antea proposita?

¹⁶⁾ Contra communem fere codicum auctoritatem ab aliis satirarum editoribus post „ant“ „vel“, ab aliis „haec“, ab aliis „ne“, a Büchelero denique „quae“ [cf. Bursian: Jahresbericht XXVII p. 64] inserta sunt. Illud primum etiam C. Fr. Hermannus in editionem Iuvenalianam recepit ea de causa, quam explicavimus.

in parodiae formam commutatum est, ab iis, quae, si res ita ferat et occasio sit data, saepissime carminibus iocandi causa immiscantur vel ut poëta quidam derideatur, id quod satirarum scriptoris plerumque est proprium. Ac priorum parodiarum exemplum praeter cetera nobis traditum est in Vergilii Catalectis VIII, ubi poëta Catulli carmen IV parodia imitatus est ¹⁷⁾.

Iam vero videmus parodiam varius in Romanorum usu fnisse, qui id genus imitandi excultum mutuati sunt. Nam ad scriptores Graecos ¹⁸⁾ revocatur, quorum magnam sibi gloriam comparaverunt imprimis Hipponax ¹⁹⁾ Aristophanes ²⁰⁾ Matron ²¹⁾, Timon Phliasius ²²⁾, alii poetae ²³⁾.

¹⁷⁾ Quamquam omnes res et severae et iocosae in parodias transfigurari possunt, ideoque parodia effingenda vel gravis vel hilaris evadit, tamen plerumque fit, ut argumentum severum in iocosum transformetur itaque parodia ridicula fiat. Propterea magni refert poëtam, cum res, quas parodiae usu expressurus sit, libero animo ac consilio invenire et deligere possit, res tam bene feliciterque exquirere et conecere, ut iocandi et cavillandi ratio statim subitoque cognoscatur. Sed quo loco de parodia oratio fit, omittere non debemus paucis adumbrare, quibusdam rebus parodiam distinguendam esse illo a genere imitandi, quod vulgo „travestia“ nominatum est. Quae quo genere imitandi contineatur inter omnes constat. Severa autem travestia, quae est contraria parodiae, nunquam fieri potest, quod argumentum vel etiam grave, forma in iocosam immutata, omni gravitate et severitate vacat. Nam omnis materia travestia adhibita denudatur forma ac compositione ita, ut vel gravissimum argumentum, de quo origo travestiae tracta sit, in ridiculum vertatur. Attamen plerumque non distinguitur apud veteres scriptores inter parodiam et travestiam neque haec diversitas quidquam valet ad eas res, de quibus infra disputandum erit.

¹⁸⁾ Peltzer: De parodica Graecorum poësi. Münster 1855.

¹⁹⁾ Ex Polemonis testimonio apud Athenaeum 15, p. 698, b.

²⁰⁾ Backhuizen van der Sanden: De parodia in commoedia Aristophanis. Utrecht 1877.

Porro multos locos parodia ab Aristophane expressos invenerunt: Wecklein: Jenaer Litt.-Ztg. 1877 p. 406.

Tournier: Revue de philologie tom. I p. 247.

²¹⁾ Paessens: De Matronis parodiarum reliquiis. Münster 1858.

²²⁾ Wachsmuth: De Timone Phliasio ceterisque silographis graecis. Lipsiae 1859.

²³⁾ Jacobs: Anthologia graeca, tom. IV p. 416.

Atque originem et argumentum parodiae effingendae scriptores traxerunt imprimis de poëtis heroicis Homero ²⁴⁾ et Hesiodo ²⁵⁾, deinde de poëmatum dithyrambicorum scriptoribus, praecipue Cinesia, Philoxeno, Pindaro, quoniam elocutiones horum poëtarum propriae, imagines, comparationes, genus dicendi sublime et magnificentum, cogitationum amplitudo et abundantia causae erant, cur parodiis deriderentur.

Quibus causis ducti sunt etiam Romani poëtae, qui parodia uti solebant sive in commoediis, velut Plautinis, sive in satiris, in quibus maxime eam adhibuit Petronius ²⁶⁾, Persius, Iuvenalis, sive in aliis carminibus, quibus saepenumero alienos versus iocandi causa intextos esse intellegimus, quod quidem exemplis probatur velut carminibus Priapeis, Vergilii Ecloga X ²⁷⁾, ceteris.

Attamen parodia Romanorum, si Graecae parodiae naturam et rationem comparaveris, rudis, incomposita, parum faceta est, multo magis iocus illiberalis, acerbus, quo in poëtam cavillantes invehuntur imitatores raroque lepidae facetiae et festivitates proferuntur.

Apud Graecos vero parodiam longe aliter compositam et institutam esse videmus. Multo enim subtiliores, festiviores, magis lepidae, politiores sunt Graecorum imitationes parodiacaе neque minus permagnum ingenii acumen prae se ferunt. Quod discrimen maxime positum esse videtur in formis linguae graecae propriis, quae aptissimae erant ad excolendum hoc imitandi genus.

Itaque parodiam existisse in omnibus carminum generibus, praecipue in epigrammatis et commoediis animadvertimus, in quibus tragici poetae, praecipue Aeschylus et Euripides derisi sunt imitatione petulantissima.

²⁴⁾ Buchwald: Homer in Lucians Schriften. Goerlitz 1874.

²⁵⁾ C. O. Müller: Geschichte der griechischen Litteratur I. Bd. p. 166, Anmerk. 55, 3. Auflage.

²⁶⁾ Gottschlich: De parodiis Senecae apud Petronium. Miscellaneorum philologicorum libelli, Breslau 1863, p. 26.

²⁷⁾ G. Gevers: Die zehnte Ekloge Vergils, eine Parodie. Verden 1864.

Iam ad parodiacam imitationem venimus, quam a Iuvenale multis locis expressam esse nemo non concedat, postquam eius satiras perlegit ²⁸⁾).

Ac vero Iuvenalis hoc imitationis genere ita usus est, ut per ludum et iocum nonnunquam voces Vergilianas assumeret iis locis, quibus in rem quadrare putaret. Quae dicendi et componendi ratio cum in poëtae natura ingenioque posita sit, ut Iuvenalis parodiarum originem et rationem cognoscamus, ipsius indolem cum Vergilio comparare debemus.

Iis, quae de Vergilii natura atque ingenio inter omnes constant, nihil novi adiungamus. Omnino in eo inerat natura ab omnibus rebus corruptis et depravatis aliena ita, ut Horatius ²⁹⁾ „optimum“ eum „animamque candidam“ appellaverit. Sed cum non mira indole magnoque ingenii acumine praeditus esset, summa inveniendi vis deerat, quo factum esse videtur, ut imprimis eius bonitas animique clementia et humanitas, quae nobis plurimis carminum locis occurrunt, causae essent, cur a posteriore poëta acriter et festive saepe perstringerentur. Nimirum poëta satiricus, quem Scaliger eorum, qui satiras

²⁸⁾ Ut praeclarissima nonnulla parodiarum exempla afferam, quibus Iuvenalis alios nonnullos praeter Vergilium poëtas irriserit, compares:

sat. III v. 104: non sumus ergo pares

et Mart. Epigr. II, 18: iam sumus ergo pares;

sat. VII v. 115—117: Consedere duces: surgis tu pallidus Aiax

Dicturus dubia pro libertate, bubulco

Iudice

et Ævid. Met. XIII v. 1, 2: Consedere duces et vulgi stante corona

Surgit ad hos clipei dominus septemplicis Aiax.

Iuv. sat. VI v. 7: Turbavit nitidos extinctus passer ocellos

et Catull. III v. 13, 15:

io miselle passer —

Tlendo turgiduli rubent ocelli;

sat. VI v. 227: impatiensque morae silet

et Sil. Ital. Pun. VIII v. 4: impatiensque morae fremit;

sat. VI v. 447: quadrante lavari,

et Hor. Sat. I 3, 137: dum tu quadrante lavatum;

sat. IX v. 37: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναϊδος,

et Hom. Od. II v. 294: αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος.

²⁹⁾ Hor. sat. I 5, 40.

scripserint, esse principem acerbissimum dicit, saepe maxima derisione et ironia utitur neque dubitat in divinum illum Vergilium acerbissimas cavillationis sagittas conicere. Ad quod eum adductum esse inde apparet, quia Vergilii forma scribendi diligentissime expolita, multae materiae atque argumenti partes eae erant, quae scilicet mira cum arte alienae materiae accommodatae ludendi causam praeberent. Itaque verba quaedam magnificentiora, elocutiones graviore, exempla exquisitiora, imagines miro saepe colore depictae in suam rem eo consilio convertit, ut cum propriis accurate coniungerentur indeque ridicula et iocosa evaderent.

Ceterum inclinatio est hominum fortuita per lusum et iocum voces graves omnibusque notas clarissimi cuiusque poëtae in quotidiana dicendi ratione usurpare, ad quam „sermones“ ut appellantur Horatiani sive satirae referendae sunt. Plerumque iocandi rationem lepidumque sermonis colorem poëtae persequuntur, cum opus non sit, ut omnibus parodiis scriptores, ad quos spectent, derideantur.

Atque ut transeam ad parodiarum explicationem Iuvenianarum primum quidem comparemus sat. II v. 99:

speculum pathici *gestamen* Othonis

et Verg. Aen. III v. 286:

clipeum magni *gestamen* Abantis.

voces respondententes applicatae sunt ad substantivum utriusque poëtae proprium „*gestamen*“, unde parodia splendidissima evadit. Dictiones enim magnificae, quibus Vergilius arma Abantis herois designat, quem Aeneas pugna apud Troiam facta occisum spoliavit, a satirarum scriptore ad res ludicras transferuntur, ad speculum illud splendidissimum, quod Otho, homo maxime luxuriosus, in itinere, secum portabat. Quae parodia a Iuvenale continuatur, cum sat. II v. 100:

Actoris Aurunci spoliū

appellet speculum illud, irridens Vergilianum in Aen. XII v. 94, 95:

hastam

Actoris Aurunci spoliū.

Cum facetiis et cavillatione has voces, quasi speculum essent spolia opima, deprompsit Iuvenalis eaque ratione paro-

diam effluxit, quia epitheta significantia a Vergilio ad hastam, qua Turnus fortissimus Actora Auruncum spoliaverat, qua Rutulorum princeps gloriabatur, translata adhibuit ad speculum, quo impudicus et ignavus delectabatur Otho.

Deinceps huc revocandi sunt Iuv. sat. III v. 39, 40:

Quales ex humili magna ad fastigia rerum.

Extulit quoties voluit Fortuna iocari

et Verg. Aen. I v. 342: sed *summa* sequar *fastigia rerum*.

Iuvenalis in voces „summa fastigia rerum“ iocari videtur, quibus Vergilius praecipua historiae Tyriorum momenta designat, cum ipse magnam auctoritatem vel dignitatem exprimat, ad quam homines ignobiles Romae non invita Fortuna progrediantur. Neque dubium est, quin illud Vergilii hemistichium cum ironia inseruerit.

Iam multo dilucidius apparet Iuvenalem iocandi causa imitatum esse Vergilium, cum scriberet sat. III v. 198, 199:

iam poscit aquam *iam* frivola transfert

Ucalegon.

Illustravit enim incendium urbis Romae, qua in descriptione cum ironia recurrit et cum irrisione ad praeclarissimum illum Vergilii locum, quo Aen. II v. 311, 312:

iam proximus ardet

Ucalegon

Troiae urbis excidium depingit. Neque vero Iuvenalis illam Vergilii translationem „Ucalegon ardet“ id est „domus Ucalegontis ardet“ imitatus est, sed parodia nomine solum Ucalegontis demonstratur.

Praeclarissime parodiae genus Iuvenalis adhibuit, cum poëtarum epicorum consuetudinem effinxerit sat. IV v. 34—36:

Incipe Calliope, licet et considerare, non est

Cantandum, res vera agitur, narrate puellae

Pierides; prosit mihi vos dixisse puellas.

Licet hic locus ab O. Ribbeckio in numero interpolationum habeatur³⁰⁾, tamen eius coniectura nobis non probatur. Nam

³⁰⁾ O. Ribbeck: Der echte und der unechte Juvenal p. 83: Die scherzhafte Anrufung der Musen dagegen [p. 34 ff.] kann ich mich nicht enthalten für läppisch zu erklären. Es ist dasselbe haltungslose Taumeln

tres versus tantum abest ut interpolati sint, ut a Iuvenale summo iure ac merito assumpti sint et inserti. Quamquam ex Horatii instituto numina non invocanda sunt, nisi occurrente aliqua difficili materia, id quod hac in re negari potest. Verumtamen ex satirae genere ac natura consentaneum est Iuvenalem facetam Musarum invocationem in re ridicula et vili, tamquam gravi et difficili exprimere voluisse neque dubitasse omnes poëtas, qui carminum exordiis Musas invocarent vanitatis arguere. Hac ipsa in re parodia posita est, quod satirarum scriptor vana et ridenda expositurus cum facetiis magnaue ironia Musam invocat, ut rem, quam descripturus sit, eo magis deridendam proponat vel tanquam ad piscis magnitudinem exprimendam Musarum auxilium opus sit. Neque dubium est, quin poëta illo loco imprimis respexisse ad Vergilium, cuius ex Musarum invocationibus praecipue ei obversabantur Verg. Aen. IX v. 525:

Vos o *Calliope* precor adspirate *canenti*

et Verg. Ecl. VIII v. 63:

Dicite *Pierides*; non omnia possumus omnes;

et Ecl. X v. 70—73:

Haec sat erit divae vestrum cecinisse poëtam

Dum *sedet* et gracili *firicellam* textit *hibisco*

Pierides: vos haec facietis maxima Gallo

vel respexit ad nonnullos versus Ecl., quos Vergilius voce „incipere“ exorditur.

In eadem sat. IV, qua Iuvenalis rhombum imperatori dono datum et maximam patinae formam superantem describit, magnificis illis vocibus usus est v. 41:

Implevitque sinus

iocans in Vergilianum illum Aen. X v. 819:

Implevitque sinum sanguis.

Atque illo loco parodiam effingi nemo non concedet. Voces enim assumptae a gravi ac severa re translatae sunt

zwischen Ironie und altkluger Nüchternheit, dasselbe Ungeschick einen Ton festzuhalten und rein durchzuführen, dieselbe Neigung zu salzlosen Spässen, von der wir uns schon oft überzeugt haben, dass sie unsern Pseudo-Juvenal unverkennbar von dem echten unterscheidet.

ad rem vilem et ridiculam. Vergilius iuvenem ab Aenea interemptum describit, cuius sanguis „sinum“ qui est pectus, implevit vel irrigavit, nisi alienum est, quin proprium sinum vestis cogitamus. Iuvenalis vero voces ita adhibuit, ut „sinu“ retis sinus exprimatur et „rhombus“ loco „sanguinis“ Vergiliani supponatur. Argumentum igitur in ridiculum est conversum forma reservata, quod quidem parodiae proprium est.

Idem splendidissime probatur si comparemus sat. V v. 42:

praeclara illi laudatur iaspis

et Verg. Aen. IV v. 261, 262:

atque illi stellatus iaspide fulva

Ensis erat.

Per ludum ac iocum Iuvenalis vocem „iaspis“ a Vergilio depromptam lepide adhibuit, et quali gemma „iaspide“ Aeneae gladius esset ornatus, talem Virronis poculis esse affixam dicit eaque de causa vocem assumptam parodiae instar satirae inseruit. Parodia continuatur ubi legimus sat. V v. 44, 45:

quas in vaginae fronte solebat

Ponere zelotypo iuvenis praelatus Iarbae

quem locum conferamus cum Verg. Aen. IV v. 36:

despectus Iarbas

Res ridicula eo magis effingitur, quod Iuvenalis facete Iarbam „zelotypum“ appellat et vocem „praelatus“ respondentem „despectus“ opponit.

Ac simili modo parodia Iuvenaliana exstare videtur, cum sat. V v. 80 squilla describatur hisce verbis:

Aspice, quam longo distendat pectore lancem.

Quo loco Iuvenalis sine dubio respexit ad Georg. IV v. 164:

et liquido distendunt nectare cellas,

indeque verbum „distendere“ transfigurata materia Vergiliana assumpsit et convertit ad rem ludicram.

Mirum est haec satira quinta saepissime parodia recurri ad locos Vergilianos, qui omnes inveniuntur in Aen. IV. Lepidissime enim et magna cum ironia Iuvenalis sat. V v. 138, 139:

nullus tibi parvolus aula

Luserit Aeneas

invertit Verg. Aen. IV v. 328, 329:

siquis mihi parvulus aula

Luderet Aeneas.

Quo hemistichio poëta deridet falsam Vergilii sententiam imaginemque iocosam et lepidam, qua exprimit Didonem beatam atque felicem fore, non „animo captam ac desertam“ videri, si ei Aenea filius natus sit.

Atque etiam Ovidius in heroid. VII v. 135:

Accedet fatis matris miserabilis infans

demonstravit calamitatem Didonis maiorem, si ex amore Aeneae gravida facta esset. Quare mirari non possumus quod satirarum scriptor iisdem fere vocibus cavillatur Vergilium, qui Didonem felicem ducat, si „Aeneas parvulus“ natus sit.

Iam vero Iuvenalis pro eo more, quo satiras Vergilianis verbis ac dictionibus ad parodiam effingendam inversis saepe condire solet, sat. VI v. 43:

Stulta maritali iam porrigit ora capistro

Vergilii clausulam Georg. III v. 188:

det mollibus ora capistris

suam facit, cum sensum proprium, qui hoc loco in vocibus „det ora capistris“ positus sit, figuratum reddiderit faceta cum allusione.

Porro comparemus sat. VI v. 123:

titulum mentita *Lyciscae*

et Ecl. III v. 18:

multum latrante *Lycisca.*

quo loco Iuvenalis lepidissime, ut fortasse negotium notaret nefandum, Lyciscae canis nomen transfert ad meretricem sceleratissimam, cuiusmodi puellis non raro nomen inditum est „canis“ a scriptoribus.

Iam vero in sat. VII Iuvenalis copiosius disputavit, quantum fortuna egestate nunquam imminuta vel vita beata et imperatoris gratia Maecenatisque liberalitas valeant ad bonum eventum carminibus impetrandum indeque fructus percipiendos. Quam sententiam propositam poëta exemplo Horatii et Vergilii adumbravit, qua in re huius cavillatione non abstinuit.

Vergilius enim praeclarissime in Aen. VII v. 445—460, imprimis v. 447:

tot erinys silibat hydris

v. 450: geminos erexit *crinibus* anguis
monstrum Allectonis furiae horribile describit, ad quod Iuvenalis velut iocandi causa recurrit sat. VII v. 68:

et qualis Rutulum *confundat Erinys*

v. 70: caderent omnes a *crinibus hydri*;

Sed maiore cum festivitate satirarum scriptor sibi in verborum lusibus irrisionisque aculeis placet, cum derideat Vergilii exempla, quibus pugnae illustrantur, sat. VII v. 71:

Surda nihil gemeret grave *bucina*

assumens cavillationis et parodiae causa vocem „*bucina*“ Vergilii propriam ex Aen. VII v. 519, 520:

Tum vero ad vocem celeres, qua *bucina* signum

Dira dedit

quo loco Vergilius optime depingit Allectonem furiam „*bucina*“ agricolas Latinos ad bellum contra Aeneam sociosque eius excitasse.

Eadem vox derisionis causa a Iuvenale inserta est sat. XIV v. 153:

Sed qui sermones, quam foeda *bucina* formae.

Atque pulcherrimum parodiae Iuvenalianae exemplum invenitur sat. IX v. 102, 103:

O Corydon, Corydon secretum divitis ullum

Esse putas?

quocum loco conferas Ecl. II v. 69:

O Corydon, Corydon quae te dementia cepit!

Parodia enim inde apparet, quod Iuvenalis magna cum ironia nomen *Corydon* a Vergilio inditum pastori cuidam stulto et nefando et in puerum pulchrum amore inflammato inseruit et transtulit ad flagitiosum quendam cinaedum, qui omnia nefaria in divitum domo perpetrata pateferi arbitratur.

Denique hac in dissertationis parte consideremus, qua ratione loco quodam Vergiliano parodiae causa inverso Iuvenalis cavillationem iocumque effinxerit. Inter omnes constat poëtas versum heroicum usurpantes mirum quoddam rarumque et inexpectatum exprimere in animo habere, si exeunte

versu vox monosyllaba posita est, cui vox vel bisyllaba vel trisyllaba vel saepissime quattuor syllabarum antecedit. Cuius versuum generis exemplum invenitur praeclarissimum Aen. V v. 481:

Sternitur exammisque tremens *procumbit humi bos.*

Hic versus Iuvenalis oculis obversatus est neque dubitavit in suam rem eum convertere et parodiam assumpta voce „bos“ ita effingere, ut comparisonem faciat inter Priamum ante aram corruentem et vetulum bovem, qui conciditur ad sacrificandum. Quis est igitur qui non concedat sat. X v. 268:

Et *ruit* ante aram summi Iovis, ut *vetulus bos*
a satirarum scriptore versum illum Vergilianum ad iocosum argumentum esse detortum?


Quod si paucis recurramus ad parodias, de quibus dictum est, negari nequit Iuvenalem nonnunquam aequo atrocius et vehementius invectum esse in Vergilium. Cum vero mediis in sceleribus omnia bona e mundo plane esse sublata putaret, cum avaritia fidem, probitatem, ceteras artes bonas subvertisset proque his superbiam, crudelitatem, deos negligere, omnia venalia habere docuisset ita, ut ira ac studio vehementius raperetur, excusationis aliquantum habet irrisio et cavillatio, quibus in optimum illud Vergilii exemplum compluribus locis acerbissime invasit.

Sed haec quidem habui, quae de Iuvenale Vergilii imitatore dicerem. Quod cum in utriusque poetae libros quam diligentissime inquirerem, etsi unus alterve locus oculos meos fugit, tamen id meo iure contendisse videor, et singulis vocibus sententiisque componendis et in ipsa dictione formanda Iuvenalem saepissime secutum esse exemplum Vergilii sive bona fide sive mala suorum aequalium animos ad summum illum poëscos latinae principem convertit.

Vita.


Natus sum Ioannes Gehlen XII. Cal. Febr. a. h. s. MDCCCLXI Frauwüllesheim, in vico prope ad Marcodurum sito, patre Ioanne Iosepho, matre Sibilla e gente Hahn, quam praemature mortuam valde lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Litterarum elementis imbutus undecim annos natus in sextam classem gymnasii Marcodurani receptus sum, quod per novem annos frequentavi. Deinde maturitatis testimonio instructus ad Academiam regiam Monasteriensem me contuli, ut studiis philologicis operam navarem. Ubi praeceptores mei erant doctissimi viri Hagemann, Langen, Stahl, Storck Tum ut per unum annum stipendium facerem Monachum transmigravi, ubi etiam almae litterarum universitati adscriptum me docuerunt Christ, Bezold, viri spectatissimi. Inde universitatem Fridericianam Rhenanam adii ibique per duo semestria scholis interfui doctissimorum virorum Bücheler, Klein, Lübbert, Neuhaeuser, Usener, Wilmanns. Denique Gottingensis Georgiae Augustae civibus adscriptus per tria semestria audivi viros illustrissimos Baumann, Dilthey, Goedeke, Heyne, E. v. Leutsch, W. Müller, Sauppe, Volquardsen, H. Wagner, v. Wilamowitz-Moellendorf. Societatis theodiscae, cui praeerat W. Müller, sodalis fui.


His omnibus de me meritis praeceptoribus gratias quam maximas nunc ago agamque semper.





THE BORROWER WILL BE CHARGED AN OVERDUE FEE IF THIS BOOK IS NOT RETURNED TO THE LIBRARY ON OR BEFORE THE LAST DATE STAMPED BELOW. NON-RECEIPT OF OVERDUE NOTICES DOES NOT EXEMPT THE BORROWER FROM OVERDUE FEES.





LI 13.414
De Juver
Widener



3 20

